

Etiam ex illis, quos saniori doctrinae calculum addere putares, omnimodâ Personarum æqualitate in dubium vocatâ, independentiæ titulum averfantur, Filium potius & Spiritum Sanctum, à Patre dependere, ritè dici posse, opinati.

## §. 5.

Pleriq; horum vel aliquâ suffulti ratione (citra rationem enim garrientes risû potius digni sunt quàm refutatione) cum Judæis fortè supponunt, distrahi majestatem ac imminui, si inter plures distribuatur, quemadmodum in humanis circa duos vel tres imperii Collegas usu venire solet: divinitatem Christi suspectam reddidit nativitas & fors humana, prout, Nestorius disputabat; ego eum, qui bimestrem & trimestrem habuit ætatem, DEUM non appellaverim: Contra Deitatem Spir. S. urgent potissimum Sociniani quidem & Arminiani, par nobile fratrum, quòd de adoratione ejus ne hilum quidem deprehendere liceat in Scripturis nec præcepti nec exempli. Fulgura verò sunt è pelvi: illud enim, circa plures Essentia & Voluntate diversos metuendum esset: istud, inter mortales scilicet ortum esse, certisq; mensium ac annorum periodis circumscriptam egisse vitam, nihil officere Salvatori, quò minùs verus simul fit DEUS, adeoq; unius positionem non esse exclusionem alterius, neminem vel leviter sacrarum literarum peritum, inque summis Religionis Christianæ capitibus versatum, latere potest; neq;ve enim aliud quicquam inde elicitor, nisi alteram SS. Trinitatis personam esse *θεοθεωπον*, duasq; in illâ unitas naturas, id quod inter omnes constat: solennem autem Spirit. Sanct. orationem expressè haberi, Jes. 6, 3. quis ambiget? cum Act. 28, 26. manifestè eidem assignatum confirmetur denuò; hoc ipse Episcopus agnovit quidem esse unicum, quod in speciem Apologiæ reddi queat, nauci tamen ac nullius momenti pro sapientia sua æstimat.

## §. 6.

Prætereà de generatione *ἐκ λόγου* æternâ, Flaminisq; Sacro sancti processione miræ turbæ erroresq; varii. Multi olim gigni planè DEO haud congruere rati, Aëtiani scilicet seu Eunomiani:

D

miani: